Quelle: https://manuscripta.at/?ID=409
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tes, colles, urbes, parietes denique domus
suae et etiam cubiculi sui, et quidquid per oculos
corporis tale cognovit et tenet, ut locorum
spatiis atque intervallis sive stent sive
moveantur. xxiii. Porro si ea quae in animo
spatiis locisque similia non tamen locorum spatiis ac finibus conti-
nentur, nec intervallis localibus in nostra me-
moria reponuntur, quanto magis illa quae
nullam gerunt similitudinem corporum:
caritas, gaudium, pax, longanimitas,
benignitas, bonitas, fides, mansuetu-
do, continentia, nulla locorum spatia te-
nent, nulla inter ea quasi pedum distantia separantur,
aut aliqua oculi cordis quo radios suos
mittant et ea videant intervalla quae-
runt? Nonne omnia in uno sunt sine an-
gustia, et suis terminis nota sine cir-
cuitu regionum? Dic in quo loco
videas caritatem, quae tibi tamen tam cogni-
ta est, in quantum eam potes mentis acie con-
tueri, quam non ideo magnam nosti quia in-
gentem aliquam molem conspiciendo lustrasti;
nec cum tibi intus loquitur ut secundum eam vi-
vas, ullis perstrepit sonis; nec ut eam cer-
nas corporalium luminum erigis oculos; nec
ut eam fortiter teneas corporalium ulnas praepa-
ras lacertorum; nec cum tibi venit in mente
sentis eius incessum. Ecce etiam caritas quantu-
lacumque in nostra voluntate consistit, no-
bisque conspicua est, nec in loco videtur,
nec corporalibus oculis quaeritur, nec conspicua
scribitur visu, nec tactu tenetur, nec auditur
affatu, nec sentitur incessu: quanto magis
Deus ipse cuius hoc pignus in nobis est? xxiiii. Nam
si interior homo noster quantulacumque ima-
go eius non de illo genita sed ab illo creata,
quamvis adhuc renovetur de die in diem,
iam tamen in tali luce habitat quo nul-
lus oculorum corporalium sensus accedit;
si ea quae in nulla luce cordis oculis in-
tuemur et discernimus, nec intra se et nulla
locorum spatiis separantur, quanto magis Deus
qui lucem habitat inaccessibilem corpo-
ris sensibus, qua nec ipsis nisi mundi potest
cordis esse accessus. Cum igitur lucem illam
omni corporali non solum iudicio rationis
sed amoris quoque appetitu praeposuerimus,
quanto id magis valebimus, tanto melius
valebimus, donec sanentur omnes lango-
res animae nostrae ab illo qui propitius fit
omnibus iniquitatibus nostris. xxv. In hac enim vi-
vaciore vita facti spiritales poterimus
omnia diiudicare, ipsi vero a nemine
diiudicari. Animalis autem homo non per-
cipit quae sunt spiritus Dei. Stultitia enim est
illi et non potest scire, quoniam spiritaliter diiu-
dicatur. Quod si nondum possumus praeferre
lucem iudicantem ei luci de qua iudi-
catur, praeferre vitam intelligentem vitae
tantummodo sentienti, praeferre naturam
non alibi hoc et alibi aliud, sed omnia quae
habet in uno simul habentem, sicuti est
ipsa nostra intelligentia, ei naturae quae
ita partibus constat ut minus sit dimi-
dia quam tota, sicuti est omne corpus,
superfluo de rebus tantis ac talibus dis-
putamus. Si autem hoc iam possumus, ali-
quid melius quam intellectum nostrum Deum esse
credamus, ut pax eius quae praecellit om-
nem intellectum custodiat corda nostra
et intelligentias nostras in Christo Iesu. Ip-
sa enim pax quae praecellit omnem intellec-
tum non est utique minor nostro intellec-
tu, ut cum ista sit oculis corporalibus invisi-
bilis, illa putetur esse visibilis. An ali-
ud pax Dei, aliud splendor Dei, cum
idem ipse sit unigenitus Filius eius, et illa
karitas quae supereminet scientiae?

Similitudo karitatis et aliarum virtutum ad videndum Deum.

Quod optima nostra hoc est mens atque intelligentia invisibilia sint oculis corporis.

Item similitudo imaginis interioris hominis ad videndum Deum.